Bibliothèque numérique

medic@

Thevenin, Quentin - candidat / Breget, Claude - président. - An fœtus in tuba uteri generari possit ?

1639.
Paris
Cote : ms 76 n°863

P A R I S biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x05x0863

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS X. FEBRVARII,

M. CLAVDIO BREGET Doctore Medico, Moderatore.

863

An fœtus in tuba uteri generari poſſit?

QVÆ ortum habere gignique dicuntur, in ipſo interitu æternitatem ſui generis immortal[illegible] expetiunt; adeo vt in generationum viciſſitudine mundi natura continuata permaneat. Quare illa vitæ perpetuitatis flagrans deſiderio, plantas & animantes non tantùm ex ſemine, ſed etiam ſ[illegible] nec quidem ex putrida materie; at ex ſuo fœcundo ſinu procreat. Hinc multiplices in ſtirpium genere ortus rationes, hinc animantium partus multiformes, hinc denique ſexus diuerſitas, quæ n[illegible]ta eſt in plantis & imperfectis animalibus, quæ ſtirpium more ſtabilem fixámque vitam agunt: quæ enim progreſſione mouentur, quoniam in mares & feminas diſtincta ſunt, longè vide[illegible] nobiliora. In mare & femina perfectæ generationis principia poſita ſunt, cùm ille ſemen in aliud proiiciat, hæc in ſeipſam: Ac propterea in iis varia, quæ generationi inſeruiunt, partium [illegible] conſpicitur. Sic feminis omnibus vterum, non vt animal procreationis appetens, ſed vt vas ad prolem concipiendam idoneum natura dedit: Mares vero, etſi non omnes, pene & teſtibus inſ[illegible] mulier vterum non geminum, vt cartilaginea: ſed ſimplicem habuit, cúmque πρὸς τῆς ἄρθροις poſitum, vt citiùs ſemen ſuo complexu exciperet, & fœtus poſtea ſuam quaſi maturitatem haberet, q[illegible] in alia parte concipi poteſt & adoleſcere.

VTERVS in derlini coxarum antro inter fæcum & vrinæ conceptacula deliteſcens, ex dupli[illegible]tus eſt, quarum primam ab ambiente peritonęo mutuatur, alteram ſibi propriam obtinet, cui ſoli vis concipiendi à natura conceſſa eſt. Sic vulua infimæ ventris regioni tam firmiſſimis vinculis [illegible] affixa eſt, vt nulla ratione poſſit odorũ ſuauitate aut nidore percita ſurſum aut deorſum fugere, adeo ſtat immobilis ſuis velut terra librata ponderibus. Huius è lateribus duo aſſurgunt cornua, q[illegible]terici tubas appellant, ex tunica communi duplicata confecta, ad fœtum ſuſpendendum comparata: in quibus totidem vaſcula deprehenduntur, quæ ſemen à parentis teſtibus elaboratum excipi[illegible] venereo congreſſu titillante libidine in ſinum vteri iaculantur: Ex hoc muliebri ſemine ſiue tubarum receptaculis incluſo, ſiue etiam gremio ipſius vteri excepto, ne ſubuentaneus quidem fœ[illegible]erari poteſt, non quod illius partes quaſi diuulſæ & diſcerptæ in vtroque parente lateant, ſed quia conceptus neceſſariò virilis ſeminis muliebriſque permiſtionem poſtulat. Nam vt vis procr[illegible] illo potiſſimùm abdita eſt; ita ſumma in hoc reperitur ad illius nutritionem pabuli ſuauitas, necnon etiam membranis conformandis apta materies: hæc ſanè ſemina in alia corporis parte [illegible] & excipi, concipi non niſi in vtero queunt, qui tanquam vnicum conceptionis inſtrumentum partem habuit primariam & officii ſui principem, mẽbranam nẽpe internam ex denſa carne compa[illegible] tanta ingenita eſt virilis ſeminis cupiditas, vt in venereis amplexibus ipſam propè ſuis conuulſam ſedibus, ad illud amplectendum obuiam procedere ſentiant mulieres, quem etiam motum cucurbit[illegible] attractioni ſimilem eſſe referunt. Ita prolectatum ſemen tam arctè concipit vterus, vt nulla ſit ſinus interioris pars etiam remotiſſima, cui non intimè adhæreſcat, quas quidem omnes vteri propriet[illegible] tubis concedere, non eſt ſapientis Medici.

IN vteri tuba non alius ineſt ſinus, quàm vaſis ſemini iaculando dicati meatus, quem patentem [illegible] nullatenus ſubire ſolet, cùm illud fundus vteri accuratè complectatur, adeo vt ad tubas deferri nullo modo poſſit. Nam ſingulari quodam artificio natura ſolers ſingulis, quæ humorum in co[illegible] ſpendundantium eiiciunt reliquias, vaſis quaſi valuas appoſuit, vt excrementorum refluxum prohiberet: ſic vrinis in veſicam illabentibus patet exitus, qui iiſdem ad vreteres remeantibus clauſus eſt: [illegible] è cæco inteſtino depulſas, ſuperiora repetere non ſinit illic collocata valuula: ſic ſemen in maribus è vaſis iaculantibus in vretram emiſſum ad eadem remigrare nequit: ita in feminis virile ſemen [illegible] è fundo vteri in tubarum ſinus refluere occæcata vaſorum oſcula non patiuntur. Fœtus autem ex ſemine parentis, quamuis in ea maſculeum inſit & femineum, ſine virilis cõcurſu etiam in a[illegible] & attentiſſima matris cogitatione procreari non poteſt, cùm in hoc ſolo vis conformationis princeps recondita ſit. Quare ſi ex paterno ſemine in quo ſpiritus genitor latitat, in paraſtatis varicoſis c[illegible] fœtus nunquam compingitur, qui ex materno, quod materiæ vices gerit, tubarum complexu coercito, conceptus adumbratio fieri poterit?

CONCEPTVM vtriuſque parentis ſemen extimâ ſui parte ab eximio ambientis loci calore [illegible]tâ, cruſtæ inſtar membranâ vndiquaque obducitur, quæ ex fibris quamplurimis humore quodam rubro perfuſis texta χορίον efficit, in quo fœtus ζῶντος poſita eſt, illa námque tunica amplo foramine [illegible] fœtu patet ad vterum, peruia eſt, vt vaſa, quæ vmbilicus complectitur, ſanguinem ex vtero ad fœtus ortum & nutritionem diſtribuerent. Hinc innumeræ naſcuntur venarum & arteriarum propag[illegible] parum extrema oſcula vteri vaſorum acetabulis annexa cotyledonas, quæ etiam in hominum genere animaduertuntur, non ex carne aut muco producunt. Inter illas vaſorum vmbilicalium [illegible] diſtributiones mollis quædam caro & ſpongioſa concreſcit, placenta Latinis, non ignota veteribus. Omnis hic partium quæ ſpiritum cibúmque fœtui ſuppeditant apparatus, in tubarum [illegible] fieri nequit. Nam quâ ratione χορίον hic poſſet efformari vbi calor minimè viget? quomodo vaſorum vmbilicalium radiculæ diſſeminari, & extremis vteri venis alligari, vbi nulla ſunt venarum [illegible]: qui denique ea in parte placenta conflari poterit, ad quam ſanguis nunquam appellit, ſine cuius concurſione fœtus conformari non poteſt?

FOETVS humani compages ex duplici partium genere fabricata eſt, quarum aliæ ſemin[illegible] naturámque referunt, aliæ verò è ſanguine concreto ducunt originem: ſic in ortus primordiis carnea muſculorum moles, cordiſque & hepatis atque aliorum viſcerum παρεγχύματα è matris [illegible] coagmentata ſunt, quem tum venæ ſpermaticæ ramus, qui fundo vteri inſeritur, tum etiam venæ hypogaſtricæ in illius ſinum emittunt, cuius ne guttula quidem tubas penetrat, quarum ductus [illegible] ſanguine conſpiciuntur. Itaq; non audeant amplius iuniores Anatomici in tubarum ergaſtulis iacentem fœtum perſcrutari, priuſquam in Iouis cerebro Mineruam, in crure Dionyſium inuene[illegible]. Quemadmodum enim tantulum fici granũ aut cæterarum frugum minutiſſima ſemina in lapides aut arenas projecta, quamuis plantarum & arborum cauſas habeant, propter loci ſterilitatem, omni al[illegible] ſublatâ ſuauitate concipi non poſſunt, nec radices ramóſque proferre: ita hominis ſemen etſi diuina vi formatrice ornatum, niſi in concipientem, comprehendentémque naturam inciderit, na[illegible] materiam qua nutriri poſſit & augeri, ex ſeſe ſimile ſui procreare non poteſt. Hinc vteri neceſſitas, ex quo fœtus, non vt ex ouo pullus exoritur, illius quippe proprium munus eſt conceptio, quam [illegible]quam parti tribuere Medico nefas eſt. Τὰς γὰρ ὑστέρας τοῦ σπέρματος ἢ τοῦ καταμηνίου δεκτικὸν ὄργανον ἡ φύσις ἐποίησεν.

Ergo fœtus in tuba vteri generari non poteſt?

310

Proponebat Lutetiæ **QVINTINVS THEVENYM** Catalaunæus. **A. R. S. H. M. DC. XXXIX.**

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Michael Maris.
M. Claudius Breget, Præſes.
M. Iacobus Cornuty.

M. Carolus Guillemeau, Galliæ Regis Medicus Ordinarius.
M. Iacobus Iouain.
M. Petrus Sauare.

M. Hermanus de Launay.
M. Philippus Harduynus de ſainct Iacques.
M. Petrus Seguyn, Prim. Reginæ Medicus & antiquior Schol. Magiſter.

B.I.U. [stamp]